



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Qui sancti in Belgio floruerint ab anno M. CCC. vsque ad CCCC. Cap.  
XXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

## CHRONICA

lorum donis & spiritu propheticō clara: quæ fe-  
lici ex hac vita transitu est consummata, anno qua-  
dragesimo sexto. Apud Hasbanos Christina vir-  
go, propter vitæ sanctimoniam mirabilis dicta; &  
beatus Bonifacius Bruxellensis, Lausanensis epi-  
scopus, cumque eo Aleidis de Scarenbeka, ambo  
in Camera beatæ Mariæ apud Bruxellam: & Ge-  
orgius justus in Biervliet celebrabantur. Verū  
nè nimis felix hoc sæculum esset, atque ut proba-  
rētur electi, hæresim permisit Dominus Wilhelmi  
Cornelij: qui Antwerpia à nimia paupertatis  
commendatione, sanctitatis praetextu, virus semi-  
nauit. Non diu tamen, detecta fraude, falsa do-  
ctrina latuit. Quam penitus etiam obscurauit  
gloriosa festiuitas in honorem corporis Dominici  
apud Leodijm instituta. Reuelata ea primum fuit  
Iulianæ virginis Cornelensi: deinde etiam alijs  
religiosis in Belgio feminis. Tandemque per Ia-  
cobum de Trebis archidiaconum, Leodij res ad  
exitum est perducta. Qui, cùm postea ex patriar-  
cha Ierosolymitano Pontifex Romanus esset re-  
nunciatus Urbanus IV. generalem hanc festiuita-  
tem in ecclesia Dei esse voluit; eiique celebrandæ  
à D. Thoma Aquinate conscriptum officium po-  
pulis Christianis proposuit. Moritur sancta virgo  
Iuliana anno millesimo ducentesimo quinquage-  
simō septimo.

*Qui sancti in Belgio floruerint ab anno c. 10. ccc.  
Usque ad cccc.*

## C A P. XXVIII.

**S**equenti deinde sæculo pristinus fidei feruor  
in Belgica Germania nihil remissior, præ-  
clarissimos Deo peperit amicos. Gerardus, ma-  
gnus

gnus pietatis caussa dictus, diaconus Traiectensem diocesim prædicatione sua illustrauit. Is Davenrix, nè pretiosus sanctorum scriptorum thesaurus deperiret, bonæ voluntatis fratres collegit: qui describendis patrum laboribus iugiter deferuiren. Inter ceteros verò discipulos Florentium habuit, insigni pietate præclarum, qui magistri monitu, Regularium Canonicorum monasterium in Windesheim perfecit: ex quo innumera deinde per varia loca religiosorum patrum multitudo profluxit. Obiit Gerardus anno huius saeculi octuagesimo quarto. Habuit tunc Lutceburensis patria sanctum Petrum: qui multæ sanctitatis iuuenis ante ætatem episcopus ordinatus est & Cardinalis. Raptus est autem ab hoc saeculo anno octuagesimo septimo: & Auenione depositus innumeris miraculis claret. Delphis religiosa virgo Gertrudis ab Ostien in Beginarum curia vitam Deo dignam ducens, anno quinquagesimo octavo felici fine quieuit. Instituta est hoc saeculo Amsterodami, & paullo post Bruxellæ, venerabilis Sacramenti memoria: quod utrobiusque insigni miraculo se præbuit gloriosum. Historiæ eius rei notantur 16. Martij, & Dominica post 13. Iulij.

*Status centenarij quinti post millesimum.*

### C A P V T      XXIX.

**P**roximus deinde centenarius in Flandris habuit sanctam Coletam, Gandaui sancte viuentem: Dionysium Carthusianum, apud Ruræmondenses multis reuelationibus clarum: qui obiit anno eius septuagesimo primo. Leduam virginem Schidami apud Batauos, longo in membris